

1485 danum ( id est nomen loco in parte urbis ) fuere, subito militum incurſu direptæ & incenſæ ſunt. Qua injuria ille adactus, cum reliquis Urſinæ familiæ Regulis aperte ab Innocentio defecit. Hujus opibus Alphonſus fretus, occupatis nonnullis circa urbem pontibus, poſt Severinatis acceſſum Romanum infeſtare agrum occæpit. Sed hæc eo tendunt, ne belli inter Pontificem & Ferdinandum Regem conſlati cauſa ignoraretur. Quæ vero ſecuta ſunt, perſtringam potius, quam longiore exequar narratione, utpote ad rem Venetam nihil attinentia. Sed dum res circa urbem in hoc ſtatu eſſent, Mocenicus interim Princeps vita deceſſit, anno ſui ducatus ſeptimo. Marcus Barbadicus, vir prudentia ſingulari, atque ob antea actæ vitæ merita egregia inter Patres auctoritate, omnibus ferme ſuffragiis in demortui locum Dux declaratus eſt. Is, Republica domi foriſque pacata, ad ducarii reſectionem, opus jam antea inchoatum, animum adjecit: ejuſque cura & diligentia eſt effectum, ut pauciſſimis menſibus, quibus, ille Princeps fuit, tota loci moles, quæ ad ortum ſpectat, ſuperbo opere ad ſummum ferme ſit perducta. Peſtilentia, quæ ne per brumam quidem multum remiſerat, mirum in modum ſollicitam civitatem habebat. Placuit itaque Triumviros creari, quibus negotium daretur, ut quantum humana ope provideri poſſet, omnia curarent, quæ ad levandam cladem attinerent. Ii igitur ad omnem contagionis cauſam tollendam, vim exuviarum ingentem, a veſpillonibus fraude contractam, publice concremarunt. Cæterum ad exonerandam multitudine civitatem, pars vulgi procul urbe ablegata eſt. Sub id tempus e regione fori, & ante geminas columnas cæptus eſt canalis maximus purgari, quem, quantumſcunque eſt, quamque longe ac late per urbem ſpaciatur, reparandum Patres cenſuere. In Cyprum aliquot peditum centuriæ, ad præſidium inſulæ, ex conſuetudine ſunt conſcriptæ.

Bellum interim circa urbem inter Pontificem & Urſinos ( qui aperte, ut diximus, ad Ferdinandum defece- rant ) ſuſceptum, poſtquam Severinatis copiæ in urbem

ve-

Marcus  
Barbadicus  
Dux decla-  
ratur.

Triumviri  
creati, ad  
contagionem  
& civitate  
tollendam.